Quaestio medica disputationibus Cardinalitiis agitanda in Scholis Medicorum die Jovis 15 mensis martii,

Clariss. viro M. Ludovico Burgensi Doctore, et primo Regis medico disceptatore prudentiss.

An Arthritis assumptis melius, quam admotis curetur?

Arthritis morbus secundi tantum generis non actione sed potentia, ut et reliqui definitus, materiam habet ab omni humore praeterquam atrae bilis (a qua nullus morbus incipit, ut a porracea et aeruginosa nulla febris) vel collectione, ut in febribus: vel decubitu (qui sive vi naturae non fit) ut in erysipelate et cancro, in articulos decumbentibus; cuius causa est partis debilitas, ab omnibus causis insalubribus profecta, praecipue ventriculi et hepatis: sed nativa vitio similis (cuius non est ut sudoris contra naturam excretio) contracta, praesertim si ex intermittente in continuam transierit ut reliqui eiusdem generis, non curatur.

Ergo praecautione, quae salubris diaetae terminos non excedit, huic affectui maxime opus est, cibo in omni causa calido, victu tenui, qualitate pro causae diversitate dissimili, sed astringente, exercitatione moderata, balneo, frictione, unctione siccis et astringentibus, vacuationibus crebris non magnis, vere etiam et autumno, praesertim nostro caelo, contrariorum declinatione, ut vini, magis adhuc veneris, quae licet diversa ratione plurimum tamen nocent, quo fit ut nec eunuchi, nec pueri minus adhuc, licet ab alia causa, feminae hoc affectu corripiantur, biliosa praecipue qui levior est quam a pituita quemadmodum colicus et nephriticus, qui tamen senibus quam iuvenibus sunt graviores, ut qui aetati et naturae non conveniunt.

Materia vero certis temporum intervallis in partem fluens, ut in febribus intermittentibus (quarum fluorum ut etiam criticorum non diversum numero, sed aptitudine materiae metimur) nec rigoribus suo motu, ut in biliosis febribus excitat, nec horroribus, ut in nothis (ex quo genere est epiala non similis tertiana) nec vere digeritur ut in omnibus febribus, praeterquam sanguineis, sed tumorem praeter naturam cum aliquo lassitudinis genere necessario efficit, quorum pro varia materiae ut a syncera non tamen putri bile, sequitur cum calore dolor intolerabilis, praesertim ischiadis, interdum pus a sanguine solum, nonnunquam a frigidis crudisque succis scirrhosa lapidosaque concretio, interdum articuli nudatio vel ~~[illegible]~~ luxatio.

Itaque vacuata materia communi purgatione ex aloe agarico, scamonio, rhabarbaro, vel phlebotomia per superiora potius quam vomitu nostris hominibus parum utili, dolor mitigandus est pro vario scopo, nunc calidis, nunc frigidis, mixtis et resolventibus, et digerentibus, et mediocriter siccantibus, minime vero emplasticis, declinante accessione solis digerentibus utendum, donec paulatim ad solum astringentium usum progrediamur nisi forte doloris magnitudo ad stupefacientia nos adduxerit. Interim partibus a quibus fluit materia prospiciemus, ut ventriculo calefacientibus, hepati sive refrigerantibus humoris vitio victu paulo crassiore et astringente, vel epicrasi biliosis praecipue utili, quiete corporis et animi et omnium quae humores tenuant declinatione.

Neque vero (quod etiam in omni alio decubitu est observandum) aut repellenda est intro materia praesertim quae critice influxit, aut purgantibus medicamentis revocanda, etsi quae vehementer purgant ischiadi magnopere conferunt. Sed si superiora non prosunt, aut suppuratio mollienda est, ut in phlegmone, aut solis refrigerantibus utendum; ut in exquisito erysipelate, aut incidentibus, acribusque, ut in oedemate et scirrho. Postremo ad sinapismum et cauteria veniendum, nec ut in hydrope et empyemate, ~~per assumpta~~ larga vacuatio molienda est, sed omnia frustra sunt, ut in reliquis morbis qui ex materiae decubitu fiunt, qui omnes organici sunt, non tamen soli, nisi materiae in partem fluxus inhibeatur, quod sive per revulsionem fiat, quae non bene semper fit per directum, sive per derivationem quae in hoc affectu optime fit per diuretica, per assumpta, quae causam tollunt, melius quam per admota, quae morbo tantum resistunt, praestabitur.

Ergo assumptis ~~po~~ melius quam admotis Arthritis curabitur.

Gulielmus Guerente Rothomageus. 1553.

F.M.P. Bibliothèque